

Aus der Leipziger Disputation.

1519.

(Opera Reverendi Domini Martini Lutheri etc. I, fol. 241 ff. — Witebergae. Per Johannem Lufft. 1545.)

Über den Primat der römischen Kirche.

Eckius.

... Venio ergo ad principale, quod petit, probaturus *primatum Ecclesiae Romanae esse de iure divino et constitutione Christi*, ita, quod Petrus fuerit Monarcha Ecclesiae, a Christo institutus cum suis successoribus. Pro quo repeto rationem Bernardi inductam et nondum solutam. Repeto dictum Cypriani pariformiter, et tertio probo per illa verba Christi Matth. 16: „*Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*“ Ubi glossa ordinaria specialiter illam potestatem Petro concessit, ut ad unitatem nos invitaret, ideo enim eum principem Apostolorum constituit, ut Ecclesia unum principalem Christi haberet Vicarium, ad quem diversa membra recurrerent, si forte inter se discuterent, quod si diversa capita essent, vinculum unitatis rumpetur.

Ita B. Augustinus in epistola contra Donatum exposuit: Tu es Petrus, et super hanc *petram*, id est, *Petrum*, aedificabo Ecclesiam meam; et quamvis idem Augustinus alicubi exposuerit super hanc *petram*, id est, *Christum*, ad mentem Apostoli, Petra autem erat Christus, tamen in libris retractationum*) expositionis suae primae eum non poenituit. Ita et B. Hieronymus libro primo contra Pelagianos mihi col. 5. ait: Quid Platoni et Petro, ut ille enim princeps philosophorum, ita et hic apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quae nec impetu fluminum, nec ulla tempestate concutitur. Ita B. Ambrosius sermo. 47. Petrum dicit fuisse *petram*. . .

Lutherus.

... Ad principale accedens, probavit (sc. Eckius) Petrum esse monarcham iure divino. . . . Respondeo: D. D. Eckius voluit *iure divino* probare, et mox sui oblitus incidit in auctoritates Patrum, quas pro maiore parte iam tractavimus, et vidimus eos in diversis locis diversa aliquando sensisse, et multo plures et saepius pro me quam pro D. D. . .

Tertio probavit per illa verba: Tu es Petrus, et super hanc *petram* etc. Quae Augustinus sic exposuerit: Super hanc *petram*, id est, Petrum, et hanc non retractaverit. Respondeo: Quid ad me? Si vult pugnare contra me, conciliet ipse primum dicta contraria. Certum est enim Augustinum saepius exposuisse

*) enthalten eine Selbstrecension seiner Schriften.